



## **Breviarium Chronologicum Veteris Testamenti Rerum Gestarum**

Ab Orbe condito Vsque ad Christum natum Synopses complectens.  
Xenivm Academicae Sodalitati Dominorum, B.M.V. Annuntiatae Herbipoli  
oblatum

Sacerdotium Ducale ... - Complectens Synopses Sacrae & profanae historiae  
à fine captivitatis Babylonicae & Hebraeorum Ducum ac Persicae  
Monarchiae initio usque ad Christum natum

**Gartner, Michael**

**Herbipoli, 1697**

Monarchiae & Monarchæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65122](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65122)

usq; ad an. mundi 3743.

13

cægenti intereretur, secus autem fieret, si vel à Turca, vel à Mosco Tyrannicè oppressi cogentur alienigenam in regem accipere, tunc enim censeretur sceptrum Polonis ereptum & ad exteros translatum, sicut factum est in tribu Juda, quando Herodes, qui erat alienigena, scilicet Aſcalonita per vim à Romanis in solium intrusus est, ac proinde non poterat dici tunc sceptrum teneri à tribu Juda. Ita *Suarez, Tivinus & Pererius.*

usq; ad an. mundi 3743.

### S. IV. Monarchia Persica

& Monarcha, qui imperarunt ab an. mundi 3517. ante Christum 716. usque ad initium Regni Græcorum Anno mundi 3743. ante Christum

310.

I. **C**YRUS filius CAMBY:IS & nepos ASTYAGIS Medorum Regis ex Matre MANDANE filia ASTYAGIS. De hujus ortu, educatione & exaltatione prorsus mirabili dictum ætate mundi quartâ, titulo de Regi.

Regibus Medorum. Primus hic Pe-  
fici fundator Imperij, quod septema-  
nis victoriis gestisque celeberrimis il-  
lustravit, verè CYRUS, id est, SOL  
MONARCHICUS REGNORUM  
cæpit regnare an. m. 3517. ante Chr. 536.  
Felix, què Deus excitavit, per Danielem  
Prophetam, qui ostendit Regi, quæ tan-  
to antè Esaias de eo prædixerat, fore  
scilicet, ut Deus illi victoriam de Ba-  
byloniis daret, & ipse vicissim pote-  
statem faceret Judæis redeundi in pa-  
triam, & templum ædificandi: Felix,  
qui in veri Dei cognitionem adeo de-  
venit, ut omnia regna terræ sibi à ce-  
lo divinitus tradita protestaretur: fe-  
lix, quem Deus tanto honore digna-  
tus est, ut eum Christi Domini typum  
& quendam velut populi sui confer-  
vatorem esse voluerit, sed longè feli-  
cior fuisset, si quem cæli terræque Do-  
minum prædicavit, cujus cultum re-  
stituit, cui templum suis sumptibus ex-  
strui præcepit, cujus cultores benevo-  
lentiâ & favore profecutus est, eun-  
dem



dem etiam ipse abjecta inanum Deorum superstitione veneratus fuisset. Qui è contrario, inani figmento divinitatis, in cœlum superstiosè relatus est, postquam, æternùm infelix, occubisset in fausto prælio cæsus à Tomyre Regina anno septimo Imperij, Regni anno trigesimo an. mundi 3523. ante Christum 530.

Mors Cyri ex Herodoto ita refertur. transito Araxe fluvio Cyrus in Massagetarum fines irrupit, cui occurrit Tomyris Regina virilis animi scemina, & quæ nuptias Cyri vel veras, vel simulatas spreverat. Ac primò quidem irrumpenti cum exercitu ducentorum millium Persarum, fortuna dolusque faverunt. Simulatâ enim fugâ reliquit vinum & epulas in castris, quibus dum Scythæ se ingurgitant, mox à Persis supervenientibus trucidati partim, & partim capti sunt. Inter cæteros Tomyris filius Spargapises vino ac vinculis solutus, ex doloris & ignominie impatientia sibi manus intulit. Tomyris autem insidias aliis insidiis ulta, vertente belli aleâ ducenta Persarum millia cecidit, ne uno quidem claudis relicto superstitite. Invento Cyri cadaveri caput rescissum est, immissumque in utrem humano sanguine plenum, cum hoc

hoc Sarcasmo, *Satis te Sanguine, quoniam iisti.* Sic Cyrus Orientis terror sub auctoris sceminae obiit pudendo planè mortis genere, nisi hæc scemina Tomyris fuisset quæ Scythis hoc est, mortalium fortissimi imperabat.

Cyro à Cambyse filio sepulchrum extructum esse memorat Strabo lib. 16, cuius Custodibus in singulos dies ovis, vinum & farina dabatur, & singulis mensibus equus unus, quem Cyro Persæ sacrificarent. Narratur à Curtio Alexandrum Macedonem hoc sepulchrum aperuisse; ut aurum argentumque, quod ibi latebat, erueret, sed præter clypeum putrem, arcus duos Scythicos & acinacem nihil reperisse. Inscriptio monumenti mirificè à Persis honorati & ornati hæc erat, *O homo! ego Cyrus sum, qui Persis imperium paravi, & Rex Asia fui, ut igitur mihi hoc monumentum invidet.*

II. CAMBYSES dictus quoque ASSUERUS: *Esdra*; & ARTAXERXES *Esdra* 3. Ne tamen putes illum Assuerum esse etiam Artaxerxem dictum, qui fuit maritus Estheris, is enim longè post alius fuit. Hic autem filius fuit Cyri ex *Cassandana* genitus, à patre profecturo ad *Massagetas* in omnem

nem mortis eventum Rex Persiæ nominatus est. Annis octo regnavit, & multa sæpe insanæ mentis indicia demonstravit.

Ex insano agendi modo Cambyfis audaciam & occasionem sumpserunt duo Magi fratres Germani fabulam Regi & Persis ignominiosam ludendi. Alter *Patizithes* dictus est, quem *Cambyfes* in Ægyptum proficiscens rei domesticæ reliquerat procuratorem, & alter *Smerdis*, qui corporis habitu, quàm simillimus erat *Cyri* filio, fratri *Cambyfis*, qui eodem nomine *Smerdis* appellabatur, ut quem *Cambyfes* ob suspicionem regni affectati (sonniaverat enim quòd videret eum vertice cælum attingere) à *Prexaspe* clam & inscio populo interfici curaverat. Huic ergo *Smerdis* consimilis alius *Smerdes* *Cyri* se filium simulat & regium solium artibus Regii Procuratoris occupat loco *Cambyfis* emotæ mentis viri. Quam fabulam plurimum juvabat, quòd verus frater *Cambyfis* nemine conscio cæsus fuerat. Cùm ergo Rex novus toto regno vulgaretur, res *Cambyfi* innotuit, qui irâ percitus, illico versùs *Susam* movet, & in equum furiosè conscendens sibi gladium defixit in femore, atque eodem in loco, in quo vulnerabat *Apim* celebre Ægypti idolum,

lum, tanquam in pœnam sacrilegii, quam enim laudabile sit idolum deltru-  
 repugnante tamen conscientia egit, ide-  
 etiam in bono opere peccavit. Cum igitur  
 vigesimum jam diem ægrotaret, sequē m-  
 riturum videret, accitis Persarum Satrap-  
 tam fratris sui cædem, quàm fraudem ma-  
 gorum detegit, rogatque, ut iis depulsis  
 regnum apud Persas retineant. Mortuo  
 Cambyse anno m. 3571. ante Christum 522.  
 nequaquam persuasum est Persis rerum per  
 fraudem potiri magos, sed reverà fratrem  
 illius regnare, præsertim cum *Praxipus*  
 pernegaret à se *Cambyfis* fratrem intenc-  
 tum esse. Regnavit ergo *Pseudo-Smerdis*  
 septem mensibus, donec detecta est Magi-  
 rum impostura per *Oshanem* ejusque filiam  
*Phadimam*, quâ tum *Smerdis* utebatur pro  
 uxore; cum enim *Smerdis* ex arce nunquã  
 egrederetur, neque in conspectum suum  
 quemquam admitteret, ne *Cambyfis* qui-  
 dem uxores & Concubinas, *Oshanes* fratres  
*Cassandanes* & avunculus *Cambyfis*, id eam  
 focer, primus fraudem odoratus est, mo-  
 nuitque *Phadimam*, ut dormientis aures ex-  
 ploraret; sic Rex mutilatis auribus (qui-  
 bus eum *Cyrus* pridem privaverat in pœ-  
 nam alicujus delicti) deprehensus est *Smer-  
 dis* supposititius esse. Rem hanc agerunt  
*Oshanes* duobus aliis Satrapis Persis, & hi  
 tres



tres sibi singuli socium adseiscunt, quibus superveniens *Darius Hystaspis* filius, septimus adjunctus est. *Prexaspes* etiam cædem à se vero *Smerdi* illatam nunc demum manifestante, hi conjurati septem Principes in aulam irrumpunt à *Bagabate* Eunuchopatefactam, & ambos magos egregiè sese propugnantes trucidant, quâ in pugna *Smerdis* magus complexus *Gobryam*, qui in conclave fugientem Pseudo-Regem cum *Dario* insecutus fuerat, cum interfici non posset sine *Gobrya* periculo, is *Darium* monuit, ut sui nihil sollicitus, magum transverberaret; quod feliciter executus est, intacto *Gobryâ*. Inde quinque conjurati per urbem discurrunt, magosque passim interimunt, unde festum *Magophonia* eodem die quòt annis à Persis celebratum est, quo die magis ex domibus prodire non licet. Quinto post die in Electionem *Darj* novi Regis conventum est. Fuit igitur magorum nequitia occasio *Cambysi*, ut vir ille sanguinum non dimidiaret dies suos.

Neque *Cambyfes* aliunde memorabilior est, quàm à crudelitate, utpote qui *Smerdi* fratri non pepercit, sed manibus impij *Prexaspis*, sustulit ( qui & ipse pro scelere suimet carnifex patefactis fraudibus ex altâ turri præcipitem sese dedit, dignus tali facto, quòd Regi nefaria jubenti impie paruisset. )

Memo-



Memorant Historiæ *Cambysen* cum urbem *Saim* cum exercitu appulisset, cadaver *Amasis* Ægypti Regis conditum erat, iussisse illud erui, & ad detigationem usque suorum cædi verberibus & stimulis fodicari, donec ferrum hebesceret, major verberantis quàm vapulantis dedecore. Cùm ad Æthiopes progressus esset cum exercitu, quos auro ditissimos audierat, & annona in itinere defecisset, iussit forte ductâ vorare milites, & retro redire compulsus est, non alio operæ pretio, quàm ut se insanum præstaret.

Sororem suam dedit uxorem, iulibus id ex adulatione dissimulantibus & Regem legibus omnibus esse solutum asserentibus, eam autem paulò post interemptam ad aspectum canis auxilium fratri conuerentis adversus Leonem flevisset uberius, & interrogata causam reddidisset, quâ *Smerdi* fratri illata nex arguebatur.

Neque *Proxaspes* charissimus licet *Cambysi*, ejus amentiam furoremque vitavit. Regem enim cùm ebrietatis à Persis insulari monuisset, ut refutaret convitium, iussit filium adduci, eumque telo in corde percussit Patre inspectante, quod sibi pro capite præfixerat & tangendum præcipientem. Quod factum ab aulico adulateore *Lachrymas* non elicit, sed potius laudem in filii sui

fui nece, quasi is actus non hominis, sed  
 DEI speret manum. Alia ejusmodi cru-  
 deliter multa perpetravit, quæ cum homi-  
 num nemo impedire auderet aut posset,  
 DEUS ultor adfuit, & vitam Tyranno suc-  
 cidit, ut adimpleretur illud Davidis Ps. 54.  
*Vni sanguinum non dimidiabunt dies suos.*

III. DARIUS filius HYS TASPIS, qui  
 magno *Cyro* militavit, in bello Massa-  
 getico, ex quo ob somnium quoddam,  
 unde *Cyru Darium* Regni æmulum  
 esse suspicari incepit, domum remissus  
 & *Darius* in custodia asservatus est,  
 donec à Massageticæ expeditione re-  
 duci causam suam diceret, sed morte  
*Cyri* hoc periculo defunctus *Darius* sub  
*Cambyse* præclare meritis, & demum  
*Pseudo-Smerde*, manu propriâ trucidato,  
 Rex creatus est. Electio *Darij* ita  
 contigisse scribitur.

Post longam deliberationem inter Prin-  
 cipes de republica constituenda, prævalen-  
 te *Darij* sententiâ, quâ concludebatur uni  
 soli Principatum deferendum esse, casui tam  
 grande negotium permissum est, & con-  
 ventum in hoc, ut quia Persæ solem adora-  
 re, eiq; statutis temporibus equum im-  
 molare consuevissent, sub ortum solis Prin-  
 cipes

cipes & Satrapæ regni competitores  
 nes conscens equis convecarentur, &  
 jus equus primum hinnitum edidisset,  
 Rex inauguraretur, id cum *Darius*, for  
 equisonis arte, ante omnes evenisset, & fu  
 men insuper sereno cœlo emicuisset, om  
 nes continuò equis suis defuxere, Regem  
 que novum *Darium* communi plausu sa  
 lutavere.

Fuit primis annis imperij sui multo  
 fortunatior, quàm postremis; quam  
 quam enim ferro victorioso metret  
 lauros & palmas quaqua versum, non  
 potuit tamen, ut voluit, de *Ægyptis*  
 & *Atheniensibus* triumphare, sed  
 stans ulciscendi desiderijs anno re  
 gni sui 36. an. mundi 3567. ante Chris  
 tum 486. fatis concessit.

Coluit *Darius* inter amicos suos singula  
 ri favore *Zorobabelem*, quem in questione  
 de vini, mulieris, Regis & veritatis forti  
 tudine victorem renunciavit, & præmij lo  
 co liberalissimis decretis pro populo Je  
 daico & templi structura perficienda mul  
 tis privilegijs & immunitatibus insignivit  
 quo Regis favore ita inceptum opus ma  
 turatum est, ut quod impiorum satrapa  
 rum invidiâ sub *Cyro* & *Cambyse* per mul  
 tos

tos annos retardabatur, imò ruebat, antequam surgeret, nunc sub *Dario* quadriennio consummaretur & coronaretur. Nee dubium est, quin beneficentiam Regis benignus in retribuendo Deus longo regimine & divitiis multis compensaverit, collegit namque ex regno in 20. Provincias digito annuè 14560. talentorum.

IV. XERXES hujus nominis. I. anno mundi 3567. à patre *Dario* successor declaratus est hortatu *Demarati* Spartani & auctoritate *Atossa* matris, quæ *Cyri* filia fuerat, excluso *Artabazane* five *Artemene* filio natumajore, hoc præcipuo titulo, quòd ille à *Dario* privato adhuc homine, *Xerxes* autem à *Dario* Rege genitus esset. De regno *Xerxis* hæc scribit *Josephus*: *Xerxes sicut regni, ita & hæres paterna pietatis, nihil enim ex Patriis institutis circa divinum cultum mutavit, & judæos summam benevolentiam profecutus est.* Regnum tenuit 25. annis, cladibus suis, quam rebus fortiter gestis famosior, de quo *Cicero* *Tusculan.* quæst. lib. 5. *Xerxes restertus quidem omnibus promissis donisq; natura, non equitatem, non pedestribus copiis non.*

non navium multitudine, non infinito possidere auri contentus, pramium proposuit, qui invenisset novam voluptatem, quâ ipse inventâ non fuit contentus, neque enim unquam finem inveniet libido &c. Athenæus hoc idem ad omnes Persarum Reges transfert.

Xerxes non tam magnificentiæ, quàm amentix suæ, elationis, & crudelitatis monumenta reliquit. Nam Athon montem confodi jussit, ut circum navigaretur, & insula fieret. Hellespontum ponte junxit, qui cum aquarum impetu fractus esset, Neptuno verbera infligi jussit, & in mare compedes jaci, ne sibi obstitisse gloriaretur impunè, tum duplici ponte iterum conjunxit Hellespontum, sicque Europæ conjunxit Asiam. Ex Abydeno tumulo copias aliquando suas contemplatus gaudia ob tot collectas copias lachrymis ob brevitatem vitæ permiscuit. In itinere dum Celenas transiret Xerxes, incidit in *Pythium Athys* filium, virum supra modum divitem, ut

ut qui totum terrestrem exercitum hospicio excepit, & huic stipendium ad bellum obtulit; sed liberalitatem *Pythij* Rex more barbarico remuneratus est. Filium unum ex quinque, (nam reliqui 4 tuor militabant,) quem petebat in subsidium senectutis, medium discindi iussit, & per ejus medias partes totum Persicum agi exercitum, hoc facinore contaminatum, & ad certissimam cladem properantem.

Finem sæviendi fecit an. m. 3789. ante Chr. 464. interfectus ab Artabano Hircano genere, & regionum satellitum Principe, qui inductus in cubiculum à Mithridate Eunucho *Xerxem* obtruncavit, moxq; perrexit ad *Artaxerxem*, monuitq; cædem à *Dario* fratre Patri illatam esse, & nisi mature provideat, eandem ipsi imminere, idque ad celerem ultionem auxilium se suum sponndit. Persuasus nimis facile *Artaxerxes* ejusdem operam remittentem *Darium* interemit. Hoc exempto statim *Artabanus* in ipsum

B *Arta-*

*Artaxerxem* insurrexit, eumque le-  
tervulneravit: At is percussorem  
thali vulnere percutit, & mox cu-  
septem filijs, quos *Artabanus* habebat  
robustissimis, alijsque consocijs, mactari  
iussit: sicque solus in paterno solio  
successit *Artaxerxes*, usus alieno scele-  
re ad regnum securius obtinendum.

V. ARTAXERXES Xerxes. I  
filius dictus LONGIMANUS, quod bra-  
chium seu manum dextram lævâ lon-  
giorem haberet. Successit in regno  
an. m. 3590. ante Chr. 463.

Hic *Artaxerxes*, ut plerisque pla-  
cet, *Assuerus Estheris* conjugio & gran-  
di convivio in scripturis clarissimus  
est. Præter amplissimam pulcherrimamque corporis formam, etiam in-  
credibilis ejus bellica virtus celebra-  
tur. Commendatur mansuetudo &  
humanitas ejus heroica declara-  
ta ab eo, tum alijs in rebus plurimis,  
tum erga *Themistoclem* Athenien-  
sem, hunc enim Lacedæmoniorum  
invidiâ ex Græcia pulsum, hospitio be-  
nign

nignè excepit, & prudentiâ hominis  
perspectâ tanti fecit, ut trium opulen-  
tissimarum urbium imperio donârit, &  
successores inde in consuetudinem  
traxerint, ut cùm ab homine Græco  
aliquid peterent, ei per litteras polli-  
cerentur, *majorem eum apud se Themis-  
tacle futurum.* Marcellinus lib. 30.  
extollit clementiam ejus, & affirmat  
suppliciorum varietates lenitate ge-  
nuinâ ita castigare solitum, ut tiaras  
vice capitum quibusdam noxiis am-  
putârit, & ne secaret aures pro delictis,  
ex galeris fila pendentia præciderit.

In aulicis ejus claruit præcipuè  
*Amanus* Amalezita, quem honoris  
causâ *patrem Regis* appellatum, cùm ex  
æmulatione cum *Mardocho* sceleratè  
Judæos criminatum, & sceleratiùs ex-  
turpare conatum esse, rescivisset, poenâ  
dignâ afficit, edicta irritat, & inde in  
Judæorum cædem animatos gentiles  
horum arbitrariæ multæ subijcit.  
Ab eo tempore plurimùm apud ipsum  
potuere *Espera* & *Mardocheus*, huic



quidem dignitas *Amani*, *Amano* a  
 tem patibulum obtigit. In amoribus  
 etiam præcipui fuere *Esdra* Sacerdos  
 & *Nehemias*. Templum Hierosoly-  
 mitanum & sacrificia magnificè ex fi-  
 sco regio juvari iussit. Sacerdotes ab  
 oneribus omnibus immunes esse vo-  
 luit, aliaque præclara multa gessit,  
 donec obiit anno 40. Regni mundi  
 3629, ante Chr. 424.

Hic idem *Assuerus* ab *Esdra* nominatur  
*Artasasta*. Singulariter etiam observan-  
 dum hic venit, pluribus nomen *Assui*,  
 tum etiam nomen *Xerxis* & *Artaxerxis* ab  
 Historicis attribui; quod inde venit, quia  
 uti annotavit *Tirinus* in *idiotismis* lingua He-  
 braica & Græca num. 19. sæpe nomina pro-  
 pria Hebræa, cum in aliam linguam trans-  
 feruntur, ita mutantur, ut vix eadem esse  
 videantur, maximè cum interpretes ad  
 aliud etymon suæ linguæ alludunt, sic qui  
 Hebraicè & Chaldaicè vocatur *Asharverus*  
 id est *magnum Caput* seu *magnum Capitulum*,  
 & Latine *Assuerus*, Persicè nominatur  
*Ochsoarjes*, *Ochsoarjes*, *Xerxes* id est bella-  
 tor, *Axurxes* *Artaxerxes* id est *acer Mars*,  
 sic propria nomina sæpe fiunt communia,  
 hinc magnum subinde diffidium historico-  
 rum.

VI. XERXES II. ARTAXERXI

Successit filius unicus, intellige legi-  
timus XERXIS II. Rex Persarum, qui  
degustavit potiùs, quàm rexit impe-  
rium, intra dies 45. sublatus à *Sogdia-*  
*no*, quem alii *Secundianum* vocant, qui  
conciliato sibi *Pharnacyâ* Eunuchò  
eum in quodam die festo ebrium &  
somnialem occidit, & tyrannide  
regnum occupavit.

VII. SOGDIA, XERXIS fratris in-

teritu regnum consecutus, crudeliùs  
imperare cœpit, qui *Bagorazum* Eu-  
nuchum jam pridem sibi odiosum  
mox lapidibus obrui iussit, *Dario* in-  
super occultis insidiis exitium ma-  
chinatus est, quod permolestè tulit  
exercitus, qui mox ad *Ocham* alio no-  
mine *Darium Nothum* defecit, à quo  
interceptus Sogdianus, cum sex men-  
sibus & diebus quindecim regnâset,  
in cineres coniectus & suffocatus in-  
terit: dignior, qui vivus flammis ar-  
deret. Quidam utrumque Regem  
propter regiminis brevitatem omise-  
runt.

VIII.

VIII. DARIUS NOTHUS  
 Etus à Græcis, quod è pellice gen-  
 effet. Alio nomine DARIÆUS filius  
 ARTAXERXIS ex *Cosmartidene* Baby-  
 nia susceptus, regnum invasit, & a  
 annos 19. tenuit. Habuit is uxorem  
 eandemque sororem, sed ex diversis  
 matre *Parysatidem* mulierem crude-  
 lem, cujus Consilio *Sogianum* op-  
 pressit. Ex ea priusquam regnum ad-  
 pisceretur, duos liberos suscepit  
*Sacan*, qui postea dictus est *Artaxer-  
 xes Mnemon*, patrique in regno suc-  
 cessit, & *Amistrin* foeminam, post re-  
 gnum autem occupatum suscepit *Cy-  
 rum minorem* dictum, & alios tredecim,  
 foecundioribus nuptiis, quam reli-  
 quibus. Translatum in se regnum te-  
 nuit per annos 19. variâ bellorum,  
 & cladium viciffitudinibus.  
 Priusquam autem obiret, utrumque ad  
 se filium evocavit, illisque præsentibus,  
 cum *Artaxerxi* natu majori filio  
 quem privatus susceperat, regnum  
*Cyro* autem, quem Rex genuerat, mag-  
 na

nam  
 oræ  
 cessi  
 stur  
 IX  
 ob p  
 initia  
 Cyri  
 dera  
 capt  
 mor  
 bus  
 am f  
 tibu  
 ratis  
 Xen  
 & G  
 inter  
 mort  
 trâ,  
 Fu  
 libe  
 praP  
 na od  
 quad  
 na

nam quandam præfecturam Lydiæ & oræ maritimæ commisisset, vitâ decessit anno mundi 3649. ante Christum 404.

IX. ARTAXERXES MNEMON

ob præstantiam memoriæ sic dictus, initia regni sui propter rebellionem *Cyri* turbatiora habuit, sed omnia moderatè sapienterque composuit? nam captum in aurea vincula conjecit, mortique adjudicatum, matris precibus donavit, & incolumem in satrapiam suam remisit; qui tamen novis motibus adversus fratrem cum confœderatis insurgens exercitum eduxit, ut *Xenophon* scribit, 100000. Barbarorum & Græcorum 12800. qua in pugna interemptus est, sævitumque in demortui cadaver abscisso capite & dextrâ, paloque affixis.

Fuit hic *Cyrus* ingentis animi juvenis liberalitate, fortitudine & comitate supra Persâ nobilis, nisi has artes in fraterna odia impedisset. Sic domito æmulo quadraginta annis imperium & magnâ pacem

pacem obtinuit, quam in regno  
& in Græcia magno studio, maxim  
que sumptibus stabiliendam curav  
Clemens fuit, & naturâ, ut Plutarchu  
ait, mollior & mulierosus, usus tre  
centis & sexaginta pellicibus, ex qui  
bus suscepit centum & quindecim fi  
lios. Morbo decessit, quem ex animi  
dolore contraxerat Anno mundi 3689  
ante an. Chr. 364.

Pugna & cædes *Cyri* minoris sic referunt à  
Saliano: *Cyrus* viso rege irruit in eum inde  
stus in media acie, perque ipsam lanceam  
ferream pectus vulnerat, sed vice versa quid  
dam hastam sub oculum *Cyri* atigit, domi  
que Rex & *Cyrus* animosè inter se comba  
cant, *Cyrus* ipse interficitur, & super ipsam  
concidentes octo fortissimi pugnatores, di  
mulque spes omnis Græcorum accisa est.  
**PARYSÆTIS** *Cyri* mater incredibilem exer  
cuit carnificinam in *Carem* quendam, quæ  
*Cyrum* à se occisum jactabat; abreptum  
enim hominem per dies decem excruciatum  
jussit; inde oculis effossis in aures ejus as  
fervens instillari, donec animam efflaret.  
Neque minorem Rex in *Mithridatem* pœ  
nam exercuit, qui eandem necem sibi per  
temulentiam arrogabat: in scaphis enim  
inclu

inclusum computrescere vivum in excrementis iussit.

Memorabilis est crudelitas huius supplicii, de quo ita Plutarchus scribit. Scaphas duas inter se congruentes accipiunt, in alteram supinum eum, qui neci destinatus est, collocant, inde alteram imponunt & coaptant, ita ut caput, manus & pedes exerantur, & reliquum corpus inclusum sit: tum cibum homini præbent, quem si rejiciat, oculos fodiendo sumere compellunt. Præterea mel & Lac confusum ei pro potu infundunt: tum ad solem assidue obvertunt faciem ejus, ut incubantium muscarum examine tota integatur: cum autem inius faciat, qua homines, qui edunt & bibunt, necesse habent, tinea & lumbrici ex tæbe & putredine excrementorum proveniunt, à quibus in viscera penetrantibus consumitur. Ad hunc modum Mithridates septendecim dies contabescens tandem interiit.

X. ARTAXERXES Ochus successit ARTAXERXI Patri, fratrum nativissimus, nihil paternum præter nomen imitatus. Ne quis enim in se con-

B

jura-

jurare posset, statim omnes filios  
 tris sui expellicibus genitos, (quoru  
 quinquaginta cum fratre *Dario* part  
 cipes conspirationis jam necati erant)  
 omnes reliquos 75. unâ cum conju  
 gibus uno die obtruncavit, & cogna  
 torum cæde ac strage regiam imple  
 vit, ut solium securus premeret. Na  
 turâ fuit inquietus, militaris fortitu  
 dinis & gloriæ crudelis affectator, &  
 secundis fortunæ eventibus plurimum  
 elatus, ut bella bellis continuò conca  
 tenaret. Quamquàm auri & argenti  
 ex Ægypto subacta ingentes copæ  
 illi accreverint, adeò tamen avarus  
 erat, ut cum mos Persiæ Regibus esset,  
 quoties in eam regionem venissent, au  
 rum Persarum mulieribus dividerent  
 ipse nunquam eò accesserit, itaque ipsa  
 suâ tenacitate voluntarium quasi exi  
 lium sibi indixerit.

Demum Anno m. 3712. ante Chr.  
 341. à *Bagao*, qui gente Ægyptius  
 erat, militum tribunus, & conditione  
 Eunuchus, *Ocho* charissimus, dato per  
 medi

medicum veneno è vivis sublatus est.

Cadaver demortui *Bagoas* in Religionis suæ violatæ ultionem felibus devorandum objecit, & ex ossibus manubria gladiatorum huius curavit, Regisq; funus funeribus filiorum cumulavit, servato uno natu minimo *Arses*, cujus nomine nefarius parricida *Bagoas* regnaret; causam hujus sævitæ exinde hausit vir Ægyptius, quia *Ochus* occupatâ Ægypto sacras ædes diripuit & succendit, gentis religionem risit, & mactato *Api* asinum in contumeliam *Serapidis* coli imperavit.

XI. *ARSIS* filius *Ochi* natu minimus ad arbitrium *Bagoas* triennio regnavit, cumq; incautiùs manifestaret se *Bagoas* sceleribus offensum, vindictam meditari, eadem perfidiâ, quâ pater, unâ cum liberis suis à parricida sublatus est. Scribitur à nonnullis *Alexandrum Magnum* opera *Bagoas* usum *Arsen* interemisse an. m. 3715. ante Chr. 338.

XII. *CODOMANUS* cognomento *Darius*, ultimus Persarum Imperator. Filius hic fuit *ARSAMI*, quem  
Dio-



Diodorus ait fratrem fuisse *Artaxerxis*. Militavit hic *Oeho* contra *Cassios*, & provocatorem barbarum insultantem dum illo confecit, ideò amplissimè donatus à Rege, amatus à populo, & in *Bagoa* amicitiam singularem admissus, ejusdemque opera ad regiam dignitatem evectus est. Quem filius quoque ut antecessoribus insidias temptem prudenter prævenit, & venenum quod in suam necem paratum erat, bibere adegit. Sic homo sceleratus incidit tandem in foveam in qua totos alios suffocaverat. Hostem hic fortissimum expertus est *Alexandrum Magnum*, à quo bis victus fugatusque, regni arbitrium victori permittere jussus est. Quæsit *Darius* quibus cunq; demum posset gravissimis conditionibus initis, pacisci prius & imperii retinere, quàm totum alteri submittere. Et quia sub idem tempus contigit mors *Statira* uxoris *Darij*, (quæ cum omnibus liberis captiva




ptiva detinebatur ab Alexandro, cu-  
jus funus etiam lachrymis Alexander  
profecutus est, ac magnifico apparatu  
sepelivit) Hoc ubi *Darius* per nun-  
cios intellexit, etsi omnia consilia in  
bellum converteret, decem tamen le-  
gatos ad Alexandrum misit, qui eum  
suo nomine laudarent, quòd captivos  
tam humaniter tractaret, peterentq;  
ab eo, ut amicitia secum inita quid-  
quid terrarum citra Euphraten esset,  
triaque millia talentorum & alteram  
filiarum suarum uxorem acciperet. Eâ  
re ad concilium delatâ, *Ego* inquit *Par-*  
*menio, si Alexander essem, oblata acciperẽ;*  
*& ego si Parmenio essem, reponit Alex-*  
*ander, idem facerem, non facio autem,*  
*quia Alexander sum* Legatis deinde re-  
spondit, nec cœlum duos soles, nec  
orbem terrarum duos summos Princi-  
pes ferre posse, proinde *Darius* aut de-  
ditionem hodie, aut in crastinum bel-  
lum pararet. Igitur *Darius* tertiâ nunc  
vice duplicatis copijs, exercitu scili-  
cet 300000. peditum, & 100000. equi-  
tium

tum renovavit bellum contra Alexandrum, nec feliciore exitu, quàm aliàs. Nam fufis tantis copiis à longe impare hofte, *Darius* turpi fugâ in Bactrianam compulfus, ubi *Befsi* & *Nabarzanis* præfeftorum confpiratione interemptus eft. Cadaver ejus Alexander in Perfiam regiâ fua chlamyde involutum reportari juffit ad matrem *Sifygambem*, & in regiis monumentis condi.

Tradunt aliqui *Dario* adhuc fpiranti Alexandrum fuperveniffe, ejusque calamitatem vehementer indoluit, cumque *Darius* orâffet, ut eandem fuam ulcifci vellet, Alexandrum fe id facturum recepiffe, & in perfequendo *Befso* multum operæ impendiffe.

Erat *Darius* ingenio miti & fimplici, fed quod adulatores Regum & aularum peftes non rarò corrumpent. Cicero in *Tufculanis* intemperantia illum notat: *Darius*, inquit, in fuga cum aquam turbidam & cadaveribus inquinatam bibiffet, negavit unquam fe bibiffe.

bisse iucundus. Nunquam videlicet siti-  
ens biberat. Atque ita tandem fune-  
sto epilogo Persicam Monarchiam *Da-  
rius* tragicus actor, & ultimus Impe-  
rator terminavit an. m. 3724. anno re-  
gni sui 9. Imperij Persarum 208. *Alex-  
andri Magni* 7. Olymp. CXII. an. 3. à  
Roma condita 423. ante Christ. 329.  
cum stetit annis ducentis & octo,  
ex quo *Cyrus* superatâ Babylone im-  
perium traduxit ad Persas.



S. 5. *Ortus & Occasus*

*Regnorum.*

**M**erito posset Græcorum impe-  
rium ab *Alexandro* homine  
Græco partum, & annis aliquot pos-  
sessum, ab eodem in annis ejusdem  
numerandis inchoari, quia tamen Asi-  
ani, quorum consuetudine Judæi, qui  
libros *Machabæorum*, uti & ipsi Asia-  
ni scripserunt, initium regni Græ-  
corum à *Seleuco* primo, qui *Nica-  
nor* dictus est, duxerunt, horum ve-  
stigii & temporum ordini insistendo,  
Alex-